

[37]. *Quod licitum sit patronis tarretarum accipiendi de rebus lignorum quibus esset aqua molata uel que esset periculata.*

Mandamus quod postquam tarreta de portu exierit, et contingerit ut cum alia tarreta uel alio ligno cui molata fuerit aqua, uel que uel quod periculata uel periculatum fuerit, se iunxerit in aliquo portu uel extra portum, || liceat patrono eiusdem tarrete et illis qui fuerint in ipsa tarreta de rebus illius ligni accipere ad suam uoluntatem ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, LXVII.

[38]. *Quod patroni tarretarum non accipiant naulum cum exierint de portu in aliquo loco.*

Affirmamus quod tarreta que exierit de aliquo portu et applicuerit in aliquem locum in quo poterit habere naulum, quod patronus illius tarrete non accipiat naulum aliquod, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, LXVIII.

[39]. *De uarrea tarretarum.*

Iubemus quod si dampnum aliquod alicui tarrete aduenerit, quod Deus aduertat, in arboribus uel antennis siue temonibus, dampnum illud in auaria esse non debeat. Sed si in aliis corredis dampnum aliquod euenerit, dampnum illud sit in comune hauere tarrete, et eciam de illa tarreta secundum usum.

St. Zen, LXXIII e LXXVI (in fine).

[40]. *De eodem.*

c. 257* || Iubemus quod si dampnum aliquod alicui tarrete aduenerit in corredis ipsius tarrete occasione cazandi aliquod lignum, uel quia cazaretur, dampnum illud sit in auarea haueris illius tarrete, ut in statuto nauium continetur.

St. Zen, LXXVII.